

da ex depositionibus hujusmodi puerorum in lucem venerit. Et refert Igneus in l. *excipiunt*. n. 37. ff. ad S. C. *Sylle*. quod ex testimonio filii im-
puberis duodecim annorum detectum fuit homicidium commissum ab eius patre in personam ejus uxoris. Illud etiam, Claro teste, est indubitatum (& ego suo loco dixi) quod postquam quis factus est pubes, possit testificari de his, quae vidit in pupillari aetate proximus pubertati.

416. Ex his omnibus colligitur, in singulis etiam plurius reorum denuntiationibus singulas circumstantias diligenter examinandas esse. Non enim solus numerus testium, sed & qualitates eorum, qui deponunt, & illorum aduersus quos deponitur, aliaque ponderanda sunt, cum sincera testium fides magis spectanda sit, quam multitudo testium. l. 3. pp. §. 1. & l. 2. l. 21. ff. de testibus, alibi à me relatis. Et haec sunt, quae doctissimus VVaizenegger, ex Theologis praesertim desumpta, tradidit circa Complicum denuntiationes in crimine sagano, ut possint indicium sufficiens facere ad Inquisitionem circa denuntiatos instituendam, & alluendam.

Quia verò communis fere est opinio, raro denuntiationes ita comparatas esse, ut non patiantur unum ex defectibus enarratis, superest, ut de ceteris iudiciis, quae vel per se suum habent momentum, vel denuntiationibus adminiculum praestant, ex eodem Auctore & aliis RR. Scrip-
toribus discipiamus.

Est autem in hoc puncto tenenda regula, omnia, quae in aliis criminibus ad torturam sufficient, multò magis recipienda esse in hoc sagario crimine, utpote quod non solum gravissimum & periculosissimum est, sed etiam difficillima probationis. Ceterum, quaedam Maleficii indicia in Ordinatione Crimin. Carol. indicantur, alia singularia, à DD. longà experientia doctis assignantur.

417. Dubitatur ergo nunc II. Quid sentiendum sit de iudiciis, de quibus Carol. Ordinat. cap. 44. sic statuit. Si quis sese offerat ad docendum alios Magiam & incantationes, vel si quis perniciem minatus fuerit alteri, quod velit ipsum incantare vel fascino, vel maleficium inferre, & eventus fuerit secutus: praesertim autem si suspectus cum magicis & veneficis certis & convictis frequenter converteretur, singularique amicitiam & familiaritatem coluerit, vel si quis utatur rebus, gestibus, verbis, & operibus suspectis, magiam inferentibus, atque is ipse de hoc crimine sit diffamatus, hoc praebet legitimum indicium Magia, & causam sufficientem torturae.

418. Quoad primum de proficiente arte magica, non male advertit Casparus Manzius ex Zierizio, idem dicendum de eo, qui gloriatur se artem Magicam didicisse. Ratio utriusque est,

quia confessio extrajudicialis, concurrentibus ceteris adminiculis, facit indicium ad torturam. Atqui talis gloriatio est quaedam extrajudicialis confessio. Ergo &c. Ceterum, ad utrumque requirit VVaizenegger, ut talis gloriator cum aliis sagis versari consueverit, vel aliter de veneficio fuerit suspectus. Ratio videtur mihi esse, quia sapè aliqui joci gratia solent iactare artes quasi magicas, agendo quaedam, quae naturaliter fieri possunt, etsi spectantium nemo assequi possit, quo modo id fieri possit. Idem Auctor bene advertit, esse inter artes magicas distinguendum. Plebi enim superstitiosa quaedam artes familiares sunt, atque sine ullo pacto expresso cum daemone, adeo frequentari & doceri solent, ut maximam totius alicujus provinciae partem suspectam habere necesse esset, si generaliter hoc indicium accipimus. Ergo hujusmodi superstitiosa artes, si quis eas profiteatur, non praebet sufficiens indicium quale hic assignatur, sed qui profiteretur, se posse eiere tempestatem, volare per aera, excitare turmatim mures, &c.

419. Quoad secundum indicium, nempe Minas, desumptum est hoc indicium ex regula generali, quod nimirum mina, animo praesertim sedato iactata ab inimico, & effectu secuto, si alius damni auctor non appareat, sint etiam in alijs delictis, v.g. homicidijs, indicium sufficiens ad Inquisitionem, & hoc sibi imitans imputare debet. Ad torturam tamen regulariter minae, etià effectu secuto, non sufficiunt, ut tradit Menochius, & cum eo Manzius in art. 25. n. 42. per rationem, quia multi sunt (& major pars minantium) qui minantur, & parùm faciunt: nam plerumque volunt solum terrere, si enim cauti essent, & serio destinarent inferre malum, id facerent, & non dicerent. unde adagium est, vanum esse metum minatum. Ut ergo propter minas ad torturam perveniatur, necesse est ut accedant alia quaedam adminicula, v.g. quod sint prolata ab eo, qui alias solitus est minas exequi, qui sit male fama in eodem genere mali, & cui facile fuit exequi, vel qui apud alios videri voluit auctor talis mali subsecuti, adeoq. non terrendi animo praesertim minatus sit. Julius Clarus dicit, apud eum saepenumero reos torturae subijci jussit Senatibus ex solis minis, *praesertim causa minarum*. quod dictum Menochius ita interpretatur, ut velit id heri vi supremae potestatis illius Senatibus. Sed hoc inprobat Farinacius q. 50. n. 11. volens causam minatum, nempe inimicitias, esse adminiculum. quod tamen mihi difficile est, sic enim raro erant minae sine adminiculo, quia raro sunt sine odio & inimicitia, cujus praesumptionem fundant, ergo secundum Farinac. regulariter & ex communiter contingentibus minae sufficient ad torturam, quod tamen est contra ipsum Farinacium.

420. Dubitatur est, an, quod dictum est de praesumptione contra minantem, etiam procedat de jactante. se posse nocere, non tamen dicendo se posse nocere. Affirmant aliqui, alii negant. Farinacius pro horum concordia distinguit, lo. cit. n. 7. Si jactans est persona potens, & non solita vanos effundere sermones, sed jactationes exequi, tunc tales jactationes, secuto effectu, faciunt contra jactantem indicium ad torturam: secus si is fuerit impotens, & loquax. Verum quia haec sunt generalia, redibit de his sermo in seq. tract. cum agetur de Tortura. In Malefico jactante se posse nocere per maleficium, facilius poterit inde capi indicium sufficiens ad torturam, effectu secuto, quia talis jactantia est quaedam artis magicæ professio, de qua paulò antè dictum est.

421. Tertium indicium in Carolina positum, nempe, si quis singularem gerat familiaritatem, ac frequenter converteretur cum personis maleficis, videtur Ferdinando VVaizenegger & Manzio nimis generale: & ad diffinitionem potius, quam ad indicium per se ordinatum: non igitur solum ad quaestionem viam aperit, nisi persona, quae cum maleficis frequenter versata est, etiam aliunde de maleficio suspecta sit, cum varijs de causis in aliquo municipio vel pago inter vicinos stricta amicitia conciliari possit, atque etiam se ceterarum collocutionum quas imprimis aliqui putant attendendas esse) variè possint reddi rationes. Videatur Delt. lib. 5. sect. 4. & Binsfeld. indicio 5.

422. Quartum indicium Carolinæ Ord. insertum, nempe si quis rebus, gestibus, verbis suspectis utatur, quae magiam sapiunt, sic declaratur per exempla.

Inter Res suspectas numerantur hujusmodi. Si in alicujus, aliunde jam de magia suspecti aedibus, vel conclavi, vel cista, reperiantur ollae cum venenis magicis, bufones, hostiae, membra humana, imagines cereae acubus transfixae, herbae malignae, libri magici &c. infans occisus, instrumentum obligationis & pacti mutui inter talem personam & daemone, ab eadem subscriptum vel signatum: hujusmodi repetitis rebus is in cujus jam antè suspecti custodia talia reperitur, tormentis subijci potest.

Inter verba reddentia suspectum de magia, vel jam antè suspecti praesentia fundamentum sufficiens ad torturam, enumerantur scelerata Juramenta, execrabiles blasphemiae, verba impudicissima, execrationes in nomine diaboli. Verum, rectius VVaizenegger & Manzius haec censent esse nimis remota, & ne quidem ad Inquisitionem sufficientia. Melius exemplum est, si sagae daemone invocet, aut cum daemone loquatur, & ille licet non conspectus respon-
deat.

Ad Gestus pertinet, si legitime probeatur, aliquem paulò ante exortam tempestatem vel grandinem, cum in fluvio vel lacu stare, aquam retro tergum proiecisse in aërem, lapidem baculo percussisse, flores de varijs arboribus collectos in ollas conjecisse, eosdem cochleari circumegisse, potionem equo propinasse, vel eundem inunxisse, qui statim mortuus conciderit. Si stabuli limen aliquo unguento vel veneno infecerit, & inde animalium mors secuta sit: Si infans halitu vetulae astatu lentè tabe consumptus, vel in continenti mortuus: si ex blanda demulsiōe & tactu morbus incognitus secutus sit &c. Et haec de Indicijs Carolinis.

423. Dubitatur III. An praeter haec Carolinæ Ord. indicia etiam alia sint agnoscenda. Affirmativè. Nam illa tantum exempli causâ sunt indicata. Hujusmodi sunt. Si quis tempore & loco non consueto deprehendatur in aliena domo, aut alieno stabulo, & inde maleficium sequatur. Si cum instrumento magico quis visus sit de loco exire fugiens pallensque in eodem loco reperitur maleficium commissum. Si in alicujus corpore statim appareat vulnus, quale alius infixit sibi fore molestiae, v.g. amputatio digiti; si femina lectum suum ingressa noctu, foribus oclusis, momento exierit abesse, ac post intervallum ostio adhuc clauso in cubile reversa probeatur. cui fortè alius accesserit & illud, quando ab aliquo noctu vexato iussa altero die redire per impetrando sale, vel igne, altero die veniat & petat salem, eo quod diabolus credatur eas ad hoc cogere, quod quidem contigisse habetur à testibus fide dignis.

Hujusmodi etiam indicium esse potest fuga; sed cum distinctione, & tunc solum inquam suspicionem contra fugientem gignit, si prius fuga artepta fuerit, quâ Inquisitionem formaretur, vel accusatio prorigeretur; praesumitur enim ex conscientia criminis fugisse. Sin verò fugam quis arripit, eo quod sciat contra se Inquisitionem ex maleficorum denuntiationibus institutam, vel fortè instituendam esse, metus carceris ac tormentorum, aliaque gravissima causatum criminalium incommoda, efficiunt, ut ideo fuga damnosa non sit.

Stigmata etiam & cicatrices quaedam inter indiciorum genera enumerari solent. Verum, ut monet VVaizenegger, quia cicatrices ex ulceribus vel aliunde possunt existere, nec potest alicujus, qui de crimine legitime suspectus non est, corpus Judicis auctoritate inspicere, vel si inspicatur, non tamen ex aretatione carnicifis, hominis visibilis, qui afferat, stigma reperit daemone operâ impressum esse, hinc, inquit, magna praesumptio nasci non potest, cum possit vel errare, vel sui commodi causâ fingere. Si tamen omnino constet, stigma tale esse, ut fa-
cile

cilē penetrari non possit, & si acu perforetur, non sentiat dolor, neque sanguis appareat, concurrentibus aliis iudiciis adminiculum præstare potest: malefici enim convicti quandoque fatentur ejusmodi stigmata sibi à diabolo impressa fuisse, atque aliis quibus demon diffudit, imprimi, ut apud Delrium videre licet.

424. Adducuntur & alia quædam signa, quibus maleficæ putantur dignosci posse, quibus tamen haud tanta fides habenda est, ut ad inquisitionem sufficiant, esto hominibus ad judicandum temerè de aliis aliquam suspicionem aut etiam Judicium temerarium movere possint. Hujusmodi est vultus torvus, obliquus, distortus, turpis totius faciei figura, quam ex malorum spirituum perpetuo aspectu, & familiarī colloquio contrahi putant. Item ortus ex parentibus maleficis. Item si vestes alicujus reperiantur in loco diabolicis conventibus destinato, v.g. sub patibulo: nam hæc possunt ab aliis eò deferri. Inter hæc refero quod narrat Berlichius n. 38. factum lepidum alicujus bubulci, qui in cognoscendis lamis tali modo urebatur. Ille tor nodos florum, quot in oppido vel pago erant mulieres & puellæ viri potentes, in quendam facium immittebat, & pauculis verbis murmuratis facium & nodos florum in eo contentos, fummo impetu undequaque suo pedo percutiebat, & illis benè percussis ostiatim percutiebat, & mulieres visitabat, & si quæ veneficij reæ esse deberent, admodum percussæ & confusa deprehendebantur ex livore in facie apparente, & postea in carcerem abducebantur, torturæ subiciebantur, & in tormentis veneficium confessæ concremebantur. Quo Judicium factio nihil potest, meo Judicio, esse iniquus: quin potius illum bubulcum ducere debuissent, tanquã graviter suspectum de magia & pacto cum diabolo, & qui potuit hac ratione nocere illis quas vel ipse vel diabolus elegerit. & tamen Berlichius (sed improbando) testatur in confinibus Thuringiæ, non procul ab aula Vinarienti, fedicim mulierculas ex hujusmodi delatione fuisse concrematas. Contra hujusmodi delatores est conceptus articulus 21. Carol. Ord. ubi statuitur, ut nemo ad hujusmodi ariolorum aut Magorum delationem incarceretur aut torqueatur, sed potius illi delatores puniantur. & si Judex ulterius pergeret, torturam passo sumptus, dolores, injurias &c. refundat & compenset. Hinc inferunt DD. quod sententia ex taliter causata confessione lata, esset omnino irrita. Ethæc de iudiciis.

425. Queritur nunc III. Quomodo Judex, habitis sufficientibus iudiciis ad capturam, gerere se debeat in capiendis maleficis. Pro resolutione præmonendi sumus, ad capturam

fortiora requiri indicia, quam ad inquisitionem specialem, que sit solum pro iudicis informatione: sin verò informationes lumantur ex officio ad transmittendam reo inquisitionem, sive ad eum citandum & audiendum (quod in crimine maleficij rariùs fieri solet, neque sine magna causa consultò fieri possit inquit V Vaizenegger) tunc exigantur ad inquisitionem tanta indicia, que Judicem ita movere possint, ut credat in genere indiciorum nihil aliud sibi deesse, quam rei confessionem, & ideo aliqui requirunt indicia propria & immediata. Ulterius advertendum est, ad capturam regulariter leviora indicia desiderari, quam ad torturam. Usus tamen habet, ut nemo facile priùs in carceres compingatur, quam indicia ad torturam sufficientibus urgeatur, quia solus carcer in hoc crimine vehementer infamat, & sunt, qui mallent vitæ, quam ejusmodi famæ jacturam facere. Verùm, quia non facile possunt ejusmodi indicia ab invicem per certam regulam discerni, ideo ex communiore DD. sententia Farinacius q. 27. n. 133. Judicis prudenti arbitrio, præsertim in hoc crimine, committendum esse dicit, quantum indicia ad capturam alicujus certæ personæ sufficiant. Et quamvis in aliis delictis sæpè metus fugæ faciat, ut reus possit incarcerari, antequam conditiones ad incarcerationem per se requisitæ implerant, hodie tamen (inquit V Vaizenegger) malefici adeo in fugam proclives non sunt, vel si aufugiant, raro in peregrinas nationes, ut difficultis eorum persecutio sit, abeunt, fortè dæmone eos à metu graviore securus reddente, adeoque ob à metu fugæ non putat facile esse aliquem incarcerationum. Personarum etiam dignitatis ratio habenda est Judicis. His præmissis

426. Respondetur ad Quæsitum I. Non esse maleficos, priusquam crimem constentur, in subterraneis, aliisque humiditate, vel frigore locis noxiis detinendos, neque statim compedes aut vincula injicienda, nisi locus carceris parum tutus sit, vel id singularis ratio suadeat, vel ita habeat consuetudo. colligitur per arg. à contrario sensu, ex lege s. ff. de custod. reor. Si confessus fuerit reus, donec de eo pronuncietur, in vincula publica conjiciendus est. §. 2. Reo comprehenso, in omnibus locis & angulis ad eum pertinentium pixides, pulveres, unguenta & alia perfidia instrumenta perquirenda sunt: nec reus permittendum, ut extra domum capti in eam iterum ingrediantur, ne fortè taciturnitatis medicamenta capiant, ut idem auctor ex Delrio, Tolosano & aliis notat: adderem ego: & ne se invisibiles reddant. Iidem tamen AA. improbant illam nimis superstitiosam quorundam Judicum sollicitudinem, qui in capto in sublimè tolli jubent, ne, priusquam in carceres deferantur,

tur, terram contingant: item qui eodem induunt unâ solum interlâ, que die uno texta, neta, confusa fuerit; item qui in ea persuasionem sunt, quod si primi à maleficis conspiciantur, falcinari possint visu, fierique mitiores ad absolvendum, & ideo maleficos tergo adversos ante se produci mandant. §. 3. Vestes quoque comprehensorum diligenter excutiendæ sunt, ne quid secum ferant, quo sibi necem inferre, vel maleficium exercere possint. Nec inconveniens est, eos propriis vestibus exutos aliis indui, ne quid in vestibus maleficij lateat, ut monet Delrius sect. 7. falsa enim est quorundam persuasio, maleficos semel incarceratos non posse amplius nocere; nam ut idem Delrius refert lib. 3. disq. Mag. p. 1. q. 5. quædam lamia rogo jam imposta solo anhelitu carnifici lepram inulit, cum tamen ipsa non esset leprosa.

427. Queritur IV. Quenam Judex in torquendis Maleficis specialia observare debeat: (de generalibus erit suus proprius dicendi locus.) Pauca de hoc invenio. 1. Quando esset prudens suspicio, in criminibus latere aliquid maleficium, non quidem statim ab initio, sed emergente vel crescente suspitione, crines quandoque radi possunt, ut hæc ratione confessio obtineatur. 2. Quando Judex advertit, maleficos tormenta quasi sine sensu perferre, dum dæmon vel mediis naturalibus sensus eorum stupescit, vel pondera, ipsumque corpus sublevar, vel ex equuleo tollit, & aliud substituit, vel vim tormentorum aliò avertit, vel occupando corpus maleficorum fauces præcludit, ut loqui non possint, vel organum auditus ita obstruit, ut vocem iudicis vel interrogationes non exaudiant, &c. tunc non ad vanas & superstitiosas observationes confugiendum est, sed remediis spiritualibus utendum, veluti Reliquiis Sanctorum, Agnis Dei seu ceris benedictis, sale & aquâ benedictis, devotis orationibus &c. quibus remediis apud nos Catholicos usus est, quibus verò hæretici, qui hæc ridet, utantur ignoro. Quodsi (inquit V Vaizenegger) manifesta sint maleficij signa, neque dolorem tormentorum adhibitorum senserit reus, sensurus tamen videatur, nihil prohibet tormenti genera mutare. Sæpius enim fit, ut dæmon ex pacto mancipium suum in uno, vel alio genere, non etiam in aliis teneat. Experientia quoque docuit (ut videre est apud Delrium appen. 2. q. 29.) levioribus tormentis, cum antè inusitata & acerbissima nihil proficerent, confessionem expressam fuisse. Sanè non multis ab hinc annis repertum est à Carnifice Germano, Catholico & pio, instrumentum ad torquendum absque ullius membri laxatione vel læsione, sed adeo intolerabilem inferens molestim in omnibus corporis membris, ut nuper ex quodam latrone, in omnibus cæteris

tormentis obliato, & quasi dormiente, omnium confessionem extorsit.

428. Queritur V. Quomodo & qualis confessio maleficij sufficiens probatio sit ad maleficium condemnandum. Prætermisissus est quæ omnibus reis confessis communia sunt, ut, quod confessio extrajudicialis non sufficiat ad condemnandum, sed solum ad torquendum, si per legitimos testes facta probetur, item quod in tormentis facta debeat postmodum ratificari liberè; item, quod per fraudem obtenta, v.g. pollicitatione impunitatis, non probet ad condemnandum, sed solum sufficiat ad torquendum, & si perseveret in retractando, sit reus absolvendus, si verò perseveret in confitendo, possit condemnari: item quod confessio æquivoca fit potius interpretanda in favorem rei, item quod ex tardio vitæ facta non probet, item si innocentia rei per indicia verisimilia appareat, & si quæ sunt alia, de quibus erit suus infra dicendi locus, his inquam omisissis, & veniendi ad specialem confessionem Maleficorum,

Distinguemus est inter confessionem eorum rerum, que in pura voluntate interna, verbis fortè exterius manifestata, consistunt, & ea, quæ consistunt in aliquo effectu externo, quo aliquid damnum vel malum causatum à se esse fatetur maleficus. Confessio eorum que sunt prioris generis, per se sola sufficit ad condemnandum. Hujusmodi sunt, si Siga confiteatur, se Deum & Sanctos, Christi fidem abjurasse, se cum dæmone sædus iniisse, cum eodem actus venereos exercuisse, in conventibus comparuisse, SS. Eucharistiã abufam esse &c. Ratio est, quia hæc aliter probari non possunt, nisi per confessionem, (ut ponimus) quia sunt facta nemine nisi dæmone præsentate, vel illis, quorum testimonium vel non est sufficiens, vel haberi non potest.

Quodsi Maleficus constiteat judicialiter & liberè ea que sunt secundi generis, v.g. se fegetes per tempestatem tali loco destruxisse, se talem vel talem infantem occidisse, se necem pecoribus intulisse, talis confessio non est secundum se sola sufficiens, sed insuper debet consistere de corpore delicti, hoc est, in tali loco fuisse fegetes per tempestatem destructas, talem infantem vel pecus interfectum fuisse &c. Et hoc est generale ad alia damna & delicta, de quorum corpore consistere debere, probabitur ex variis Juribus suo loco.

429. Queritur VI. An ex quibusdam factis notoriis & permanentibus, possit haberi sufficiens probatio ad condemnandum, non obstante quod reus constanter neget crimen. Affirmativam tanquam indubitam tenet Berlichius n. 47. & citat Gail. lib. 2. de Pace pub. c. 15. incip. licet articuli. Ego in meo exemplari nul-

lum cap. ita incipiens invenio. Exempla affert, si penes sagas & striges venena & fortilegia fuerint deprehensa, si limen stabuli effodientes & venena submitteutes videantur, & inde statim pecudes mortuæ comperiantur: (pro quo citat Bodinum, quem & alii secuti sunt; sed hujus Auctoris singularitates plures perstringit Delcius.) Vel si sagæ & alia veneficii suspecta infantem occidentes deprehendantur; vel si saga inimico incolumi minitari, eumque tangere animadvertatur, & ille repente mortuus concidat, aut afficiatur elephantiasis, membrorum distorsione, apoplexiâ, subitoque morbo: si visa sit saga clarâ voce Diabolo supplicans fortem fascinumque eximere: si instrumentum obligationis mutuivæ inter magum & Diabolum pacti ab eo subsignatum reperitur in scrinio ejus: si saga cum Diabolo sermones habere & eum invocare deprehendatur: si ex cubili domoque saga momento abierit foribus occlusis, quæ vesperi incuberat lecto suo, ac postea in idem cubile revertatur: si lamia oculos fascinat, incantatque carmine: si homines, pecora, fruges incantaverit, in ætrem ascenderit, canis sermonem indiderit, exfectisque membris sanguinem ejecerit, eademque denudò adnaverit: si saga flere & lacrymari non possint: (ex quo Berlichius evidens & permans factum præsumit dicit n. 60. quod sine risu non legi) ex quibus concludit Berlichius his verbis. Ex his igitur omnibus & singulis factis evidentibus & similibus, Judex Judicium condemnationis in sagas & veneficos ferre potest, quantumvis hæc omnia magi negent, & constanter inficiantur. Itâ ridigus iste J. C. unice secutus suum Bodinum, cujus auctoritas vel ex eo solo vilescere debet, quod expressè admittat, posse Judicem licet per mendacium elicere confessionem, ut eum redarguit Delcius lib. 5.

430. Negativam defendit rectius Zanger apud eundem Berlichium, & Ferdinandus V Vaizenegger n. 182. His verbis. Indicia indubitata, quæ præsumptione juris & de jure talia sunt, non æquè in maleficio, ut in quibusdam aliis criminibus, assignare licet: si enim infantem habitu vetula afflatum lentâ tabe consumptum, vel in continenti mortuum esse, si ex blanda alterius demulsiione & tactu aliquem statim mortuum incognitum contraxisse, si ve Bertam nocturno tempore in cella clausa deprehensam fuisse proponas; si ve quis ex domo tua eo tempore quo filius tuus maleficio læsus est, cum instrumento magico visus fuerit exire pallens & fugiens, vehementissimâ quidem criminis præsumptione reus oneratur, seu quia similia in genere indiciorum indicia indubitata juris tantum sunt, non etiam de jure (nullâ enim lege expressum est, ex his reum damnari posse) Judex ex iis reum

non in penam maleficii condemnare, sed questionem tantum subijcere potest, ut æquior & communior habet opinio.]

431. Dubitatum est de eo, qui talem scripserat Epistolam ad Sempronium: se juxta mandatum in certo consilio Diabolico sibi datam, pacta veneno infecisse, certas personas arte suâ magicâ interemisse, SS. Eucharistiam ex Ecclesia subreptam se ad proximum conventum certo certius allaturum, ut se demoni moxigerum ostendat, totisque cæcis maleficis eandem pro more dehonestare queat. Monet præterea Sempronium, ut ex fædere suum quoque faciat officium, modisque omnibus curet, ne sine comitatu ad conventum accedat, sed & alios in facinoris societatem adsciscat. &c. Fareturque se esse exaratam hanc epistolam, negat tamen, se criminum, quæ in eadem continentur, esse reum: dubitatum est, inquam, si reverâ pascua reperiantur veneno corrupta, homines occisi, SS. Hostia ex templo sublata &c. an hujusmodi scriptura faciat plenam probationem ad condemnandum. Videtur affirmandum, quia notum est, scripturam facere plenam fidem contra scribentem. Nihilominus sapè laudatus V Vaizenegger respondet, ejusmodi litteras non nisi extrajudicialis confessionis vires habere, ipsa autem delicta enarrata non probare, quia litteris hæc non committuntur, sed factis, & ad rationem dubitandi respondendo: Hæresin, inquit, conjurationem, injuriam, aliâque quæ conventioni, dicto, vel scripto perficiuntur, per scripturam probari nil impedit. Igitur scriptura privata, nisi quatenus hæresin continet, maleficium non probat, etiam cum scribens manum non difficitur: tortura tamen locum facit instar extrajudicialis confessionis. Itâ ille. Quæ omnia debent fundari in eo, quod condemnatio requirat probationes luce meridianâ clariores, qualis non est talis scriptura.

432. Queritur VII. Quid, & quantum probatio per testes contra maleficos possit. Ad hoc quaesitum, (quidquid dicit Berlichius cum suo Bodino) ego cum Ferd. V Vaizenegger, & alijs ab eo citatis, ac conformiter ad supra dicta, Respondeo 1. Damna, quæ male veneno aperte inferuntur, instar aliorum delictorum, duobus minimùm, & omni exceptione majoribus testibus probantur, eaque probatio plenissima, & luce meridianâ clarior dicitur; quia testes de eo quod sensu corporeo per ceperunt, & oculis usurpant, fidem faciunt. Reus hoc modo convictus jure condemnatur, non quidem in penam maleficii communem, sed in eam, quæ pro delicti probati qualitate legibus imposita est. Conclusio patebit ex dicendis infra de Testibus, & ex parte inferius ex supra dictis. 2. 1. Possit eti-

am per testes idoneos probari, reum artibus magicis, fufuris, & carminibus usum fuisse, mira quadam communem hominum captum superantia effecisse, atque demonis opem ad ea perficienda implorasse. Ratio est, quia hæc quoque magorum facta testium sensibus exposita sunt, neque tantum per se penam merentur, sed etiam occasionem præbent, super Apostasia, Idololatria, & cæteris maleficio familiaribus criminibus, inquirendi per torturam. Ubi tamen Judex protestari discretè debet, questionem seu torturam adhiberi sine præjudicio probatorum, nam super probatis nemo torquetur. 2. 3. Testibus etiam singularibus indicia ita probari possunt, ut quaestioni locus sit, dum tamen idonei sint, & omni exceptione majores, quod requirit immeritò negat Berlichius, cum suo Bodino. Quinam autem testes in criminalibus sint idonei, suo loco traditur. In crimine Veneficii posse filiam contra matrem testari, ut sufficit ad torturam, non facile negaverim, sed non concesserim sufficere ad condemnationem, quidquid Bodinus adducit plura præjudicia: non enim omnium Judicum rigor est pro exemplo habendus. 3. 4. Confortes, & complicis singulariter denuntiantes (insistendo conclusionibus supra positis) ne quidem ad torturam sufficiunt, quantumvis denuntiationes eorum multiplicentur, quia non tantum singularitas, sed & alii defectus illis obstant. Quin imò, quod plures sunt (inquit Ferd. V Vaizenegger) uti municipales ac vicinos suos singulariter denuntiant, eò minor eis omnibus, quam unius soli fides danda videtur: nam est unius malefici denuntiatio quandoque verisimilis appareat, plurium tamen diversæ loco & tempore indicationes, ne quidem umbram aliquam verisimilitudinis habere videntur, quia vel verum non est, tantum maleficorum numerum de quanto ferè omnes deponunt, convenire, vel credibile non est illis vicibus, quibus malefici Titium conventibus diabolicis secum intervenisse dicunt, semper unum tantum ex denuntiationibus præsentem fuisse. Hoc ipsum tradit & innumeris auctoribus confirmat Farinacius 9. 64. n. 39. quamvis (ut verum fatear) quod hoc numero asserit, penè totum destruit n. 41. 2. 5. Non potest Titius damnari propter solas maleficorum de homagio demoni à Titio præstito, de presentia ejusdem in conventibus ac choreis &c. deponuntur depositiones etiam concordantes. Ratio est, quia horum denuntiationes, etiam præcisâ singularitate, ex pluribus alijs capitibus suspectæ sunt, & mœta. (qualiter non sunt testimonia omni exceptione majorum) & ideo fieri non potest, ut illam certitudinem pariant, quæ luce meridianâ clarior sit, quia eorum concordantia non tollit suspensionem falsi, etiam respectu totius collectionis. Et hæc ex mente viri celeberrimi Ferd. V Vaizenegger.

Ex quibus per argumentum à contrario dicendum videtur, quod, sicut diximus actus magicos, qui sub sensu cadunt, & supra exemplis declaravimus, posse plene probari factos per testes idoneos, itâ, si contingeret, ut persona omni exceptione majores interesset absque omni culpa (Deo forte, vel bonis Angelis itâ disponentibus) illi solemnitati, quâ Titius homagium demoni præstaret, & choreis corporaliter interesset, posset maleficium Titii sufficienter probari per testes ad condemnationem, quia rationes allatae solum procedunt de denuntiationibus complicum, & quia non est major ratio, cur probari possit Infanticidium à Titio factum, & non homagium præstitum, quia hoc non minus quam illud (ut in casu pono) sub sensu caderet. Sed de hoc alij judicent.

433. Queritur VIII. Quænam sit pœna Maleficorum, qui vel confessi, vel convicti sunt. 2. Jure Civili habentur leges duæ præcipuæ, in tit. Cod. de Maleficis, & Mathem. Lex 6. sic habet. [Multi magicis artibus usu, elementa turbare, vitam infortium labefactare non dubitant: & manibus accitis audent ventilare, ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos, hos quoniam natura peregrini sunt, feratilis pestis absumat] Per feralem pestem putant Interpretres ignis pœnam intelligi. Deinde lex ultima. [Quicumque maleficorum labe pollutum audiverit, deprehenderit, occupaverit, illico ad publicum pertrahat, & Judicium oculis communis hostem salutis ostendat.] Hæc cõbustionis pœna confirmatur in Ord. Crim. Carolina, art. 109. quoad illos, qui magicis artibus de factis alijs damna intulerunt. Qui verò illis quidæ artibus usi sunt, sed nullâ damna intulerunt, jubentur puniri extra ordinem arbitrio Judicis, pro rei qualitate, cõsultis de super Jurisperitis. Itaq; juncto art. 106. & 130. puniuntur hodie hac ignis pœnâ, qui demoni per homagium se consecraverunt, eidem sacrificia obtulerunt, nefandum peccatum cum succubis, & incubis admiserunt, ac præterea hominibus, animalibus, cæterisque fortunis nocuerunt. Imò etiam si nemini nocuerint defacto, ob solum tamen pactum cum diabolo, Apostasia, & Dei abjurationem, & ob exercitum coitum cum diabolo, nihilominus igne concremandos esse tradunt Interpretres adductorum articulorum, Hermannus Vulteus, & cum eo Berlichius, contra Gilhusii, qui solum fustigatione, vel relegatione, vel multâ pecuniaria puniendos esse dicit. Berlichio & communi sententiæ accedit V Vaizenegger, hanc credens rationem, quia absurdum est, reum qui equum occiderit, interfici, qui Deum ac veram fidem abnegavit, diabolo expressâ professione se addixit, cæteraque quantumvis sine alterius damno, nefandissima exercuit, contra præceptum divinum vivere.

Idem auctor testatur, consuetudinem obtinisse, ut penitentes non lento ignis supplicio vivi consumantur, sed quibusdam locis laqueo ad palum suffocentur; alibi, & quidem hodie frequentius, gladio feruntur, ac demum cadaver igne cremandum rogo injicitur, prout ego ipse spectavi in Neoburgensi Palatinatu una vice quatuordecim sic puniri.

Objici possent, latrones, qui minus deliquerunt, acerbis puniri. Sed responder citatus auctor, esse disparitatem, quia in latronibus non est tantum desperationis periculum, nec facile quifquam reperitur, qui inter tota supplicium sibi complacet in latrocinii perpetratis. In maleficos demon plus juris prætendit, & plus habet potestatis ad agendum in desperationem, vel ad pristinum obsequium. Fortassis & hæc addi ratio possent, quod longè difficilius impetretur serua penitentia à maleficis, quam à latronibus, & ideo penitentes merentur plus misericordiam & clementiam.

434. Dubitatum est I. Quid agendum cum impuberibus, qui à parentibus vel aliis seducti, magicas artes callent, & exercent, prout ex indubitatis relationibus habetur. Audivi, alicubi tales fuisse capite plexos, etiam in ea ætate, quæ necdum est rationis capax, & quidem inter ludendum cum carnifice, lusu quo solet quis oculis obvelatis quærere socios. & hoc ideo factum esse, quod experientia doceat, tales nunquam ad frugem redire. Mihi semper visum est indubitatum, hoc non licere, quia nunquam licitum est innocentem dicitur occidere, de quo plura dixi *so. 1. de Jure priv.* Quare cum talibus omnino observanda est doctrina quam ex Sforza, Oddo, & Binsfeldio tradit Ferdm. VVaizeneg. *n. 196. & seq.* Si infantes à parentibus vel aliis in servitute diabolicam redacti fuerint, quod sæpius accidit, cum in tales delictum formale non cadat, hoc ipso puniri non possunt. Sin infans qualemqualem rationis usum habet, attamen tantò minor est ejus dolus, quantò minorem habet legis naturalis ac divinæ meritum: quæ ratione ejus doli vix in foro externo ratio habetur. Nunquam igitur infans ultimo, vel alio graviore supplicio jure plectitur. paternè tamen feruà vel aliis modis emendari potest, atque in loco tuto tamdiu detineri, donec fidei Christianæ præceptis probè instruat. Instruatus non sibi statim relinquendus est, sed honestis familiis tamdiu addicendus, donec ad firmam ætatem & constans animi Judicium perveniat.

Impubes doli capaces, durius quidem quam infantes emendari poterunt, ultimo tamen supplicio non sunt mulcandi, nisi ex gravissima causa, & Principe consulto. Eadem igitur ratione pubertati proximi, sicut infantes,

in fidei Christianæ præceptis ad pietatem, & ad cognitionem peccatorum instruendi sunt, atque in ea schola usque ad annum 16. retinendi. Quod si post omnem diligentiam adhibitam nulla correctionis appareant argumenta, sed in servitute demonis severissima persistant, supplicium de illis non immetitò sumitur. Sed neque semper decimus sextus annus expectandus est, nisi, qui jam puberes carcerati sunt, in ipsa infantia demonis imperio fuerunt subiecti sine sua culpa; & ita eorum ratio peccatorum tenebris obscurata sit, ut suismet viribus, vel aliorum disciplinâ non possint opinionem perverfam ante ætatem aliquam maturiorem agnoscere, & deponere.

435. Dubitatum est II. Quæ ratione procedendum cum Clericis, Monachis, & Monialibus maleficis, & de Apostasia, nefando coitum cum diabolo, homicidijs per maleficium commissis convictis vel confessis. *æ.* Omiffis Juris Canonici antiqui penis, quæ in defectu ordinem exuti, traduntur brachio sæculari, ut tradit Abbas in *cap. assi Clerici. de Judiciis*: nisi manifesta penitentia signa apparent: v.g. si sponte & animo sincero ac penitente se accusent, faterenturque se quibuscumque penis dignos esse, seseque promptos ostenderent ad satisfaciendum Deo quocumque supplicio: quo casu putat Delrius & VVaizenegger. reos, post actualem degradationem ab Episcopo ad perpetuos Ecclesiasticæ curiæ carceres condemnari posse, si nullum ex hæc clementia Reipublicæ periculum imminet, nec singularis aliqua causa suadeat contrarium.

436. Dubitatum est III. An hodie bona maleficorum sint confiscanda. Negativa defendit Fachineus *lib. 9. cap. 87.* sub hac conditione, si existant descendentes vel ascendentes, usque ad tertium gradum, secundum Novell. 134. §. ult. in qua Justinianus penam confiscationis sustulit, excepto crimine læsæ Majestatis. ibi. [sancimus, eos qui in criminibus accusantur, in quibus leges mortem aut proscriptiōnem definiunt; si convincantur, aut condemnentur, eorum substantias non fieri lucrum Judicibus, aut eorum officis, sed neque secundum veteres leges fisco eas applicari: sed si quidem habeant descendentes, & ascendentes usque ad tertium gradum eos habere. In Majestatis verò crimine condemnatis, veteres leges servari jubemus.] Ex hac Novella constat sublatam esse confiscationis penam, excepto Majestatis crimine: atqui Maleficium formaliter & per se spectatum, non est crimen læsæ Majestatis. Ergo &c.

Ego tamen hoc argumento non moveor, ut à sen-

Majestatis Læsæ Crimen.

SUMMARIUM.

- Quid de hoc delicto statutum sit lege Jul. Majest. 438.
 Quid hic nomine Majestatis veniat. 439.
 Majestas Imperatoria unde habeat originem. eod.
 Definitio Majestatis in abstracto. eod.
 Relucet Majestas maxime in exercitio Regalium Majorum, tanquam proprietatum. 440.
 Quando Rex Romanorum habeat Majestatem 441.
 Contra Electores Imperii committitur crimen læsæ Majest. 442.
 Quid de alijs Principibus, Statibus Imperij. 443.
 Intellectus legis §. C. ad leg. Jul. Majest. circa Consiliarios. 444. & seq.
 A quonam hoc crimen committi possit. 447.
 An Clerici possint committere crimen læsæ Majest. 448.
 An committat Bannitus resistens suo Principi: item subditus solum ratione originis. 449.
 Quibus modis hoc crimen perpetretur. 452.
 An Principi maledicens committat hoc crimen. 453.
 Pœna eundem falsas monetæ. 455.
 Tres modi committendi crimen falsationis monetæ. 456.
 Pœna falsantium monetam in materia. 457.
 Quidsi quis in Imperio falsaverit materiam monetæ extraneæ. 458.
 Quidsi quis argentam auro tingat, & ut auream expendat. 459.
 Quidsi ab alio falsatam sibi appropriet, ut expendat. 460.
 Quomodo puniendus, in cuius domo cusa est monetæ. 461.
 Quibus modis committatur hoc crimen in falsatione formæ. 462. & seq.
 An puniendus, qui monetam auream radit, relicto tamen justo pondere. 463.
 An puniendus, qui solam argentam radit. 464.
 An puniatur in hoc crimine Læsæ Majest. solus eductus. 466.
 Quomodo puniatur crimen læsæ Majestatis commissum in personam Principis, aut ejus Consiliarios. 467. & seq.
 Quomodo puniatur recipiens hostem fugientem. 468.
 An bona ipso jure fisco cedant à die commissi delicti. 469.
 An existantia extra territorium cedant fisco. 470.
 An ab hac confiscatione sint aliqua bona excepta. eod.
 Filii prædellium omni hereditaria successione, & testamenti solutione privantur. 471.